



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 54. Rapinæ Normannorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

ratum est, Rabanum de hoc argumento ad eum scripsisse.

Sæculum IX.
A. C. 859.

§. LIV.

Rapinæ Normannorum.

Interea Normanni egregie latrocinabantur. Anno octingentesimo quinquagesimo nono loca ultra Scaldim populantur. Eodem anno Bataviam per Rheni ostia intrant. Alii per Samarum ingressi Monasterium S. Walarici, Ambianensem civitatem aliaque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Hi vero, qui ad Sequanam morabantur, Noviodunum civitatem noctu aggressi Immonem Episcopum cum aliis Nobilibus tam Clericis quam Laicis capiunt, vastata civitate secum abducunt, & in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Episcopum Bellovacensem, & anno præterito Blatfridum Episcopum Bajocensem necaverant. Monachi S. Dionysii in Francia metu eorumdem Danorum Reliquias SS. Martyrum in Villam sui juris Novientum in agro Mauripensi positam devexerunt. Alii Danorum piratæ longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur, depopulatisque quibusdam civitatibus & Monasteriis, in Insulâ, quæ *Camarias* dicitur, sedes ponunt.

Ann. Bert.
859.

Ann. Bert.
850.

Sæculum IX. ponunt. Inde adverso Rhodano usque
A. C. 859. Valentiam invec̄ti vastata tota circum-
 jacente regione in sua tabernacula re-
 vertuntur. Ex Provincia in Italiam us-
 que in Hetruriam progressi Pisas, alias-
 que urbes capiunt, diripiunt, evertunt.

Id. 851. Mense Januario anno octingentesimo
Aimon. Pa- sexagesimo primo Normanni, qui Sequa-
ris. l. 5. 6. nam tenebant, Parisios usque penetrant
 & quædam prædia ad Monasterium S.
 Germani de pratis pertinentia incen-
 dunt. Monachi assumpto corpore S. sui
 Patroni in suas ditiones, quas in terra
 Briensi possidebant, fugerant, viginti
 tamen ad celebrandum in die Paschatis
 Officium remanentibus, quos in Eccle-
 sia Matutinos cantantes invadunt Bar-
 bari. Sed fuga hostium manibus præ-
 ter spem erepti sunt, quod prodigio
 factum crediderunt.

FINIS TOMI XI.



INDEX